Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 909

Quelle:
Copyright:

ſucceſſit, autorem inclinat; *Mauriani* loc. cit. in *Admonit. Marium Mercatorem* mallent, neque tamen *Garnerii* rationes diluunt, cui praeterea Liber noſter *ſextus* ſuppoſititius aut ſaltem additicius videtur, cum praeter alia ſaepe ſejunctus a ceteris, ut in noſtro *Cod.* inveniatur. Illud inſuper notatu dignum, quod teſtatur *Hincmarus* Rhemenſis *lib. de Praedeſt.* c. 1. viſum ſibi Codicem, in quo Liber hic poſt opus *de Octo Quæſtionib. Dulcitii* ſubjungebatur, id, quod et in noſtro Codice factum vides. Subſcribitur is forma illa literarum, quam *Mabillonius Francicam* ſeu *Carolinam* vocat, cujusque alphabetum exhibet *Tab.* II. n. 2. de Re Dipl. p. 347. in hunc modum: *Deo gratias ſine fine ſemper. Iſtum librum indignus Gerbardo Helmuard ſcripſi pio. Sequentem alium deo adiuuante. et uita comite gratiaq: placatus. celeriter peragam.* Sed hujus Libri parum jam ſupereſt, ut ſequitur.

VII. *fol.* 53. p. 2. *Incipit Ordo De Numero Annorum Indictae Penitentie Per Conſilium Sacerdotum.* Initium eſt: *Septem igitur annorum tempore debes habere poenitentiam indictam* &c. Poſt 15. *lineas* cetera deficiunt. Quod eo magis dolendum, quo melioris notae Codex eſt hactenus, neque negligendus iis, qui *Proſperi* aut *Auguſtini* Scripta olim fortaſſe retractaturi ſunt. Quae porro ſequuntur, ad *Sec.* XI. pertinent.

VIII. *fol.* 54. *Epiſtolae* et *Evangelia* per annum in Eccleſia legi ſolita, ſine titulo, ex interpretatione vulgata. Initium eſt a *Dominica I. Adventus* hoc rubro: *Legitur epiſtola bauli. a. ad Romanos. Fratres Scientes quia hora eſt* &c. Non reſpondet tamen *Lectionarium* iſtud exacte hodierno Miſſali *Romano.* Dominicae enim I. *Adv.* adſignat Evangelium: *Cum appropinquaſſet ihesus hieroſolimis* &c. *Matth.* c. 21. Dominicae III. Epiſtolam *Pauli ad Corinth. I. Sic nos exiſtimet homo* &c. Pertingit usque ad *Fer.* VI. in *Paraſceve*, et in iis *Paſſionis ſec. Johannem* verbis deficit: *Sicut mos eſt iudeis ſepelire.*

CCLIX. VII. H. 3.

Codex chartaceus lat. Sec. 681
XV. Folior. 83. 4. currente calamo exaratus continet I. *Proſperi Aquitani* Scriptoris Sec. V. notiſſimi *Librum Epigrammatum* e D. *Auguſtini Sententiis* conflatum, cujus Editiones varias enumerat *Fabricius Bibl. lat. med. aevi* L. XVI. p. 14. Cum vero ultima *Pariſina* 1711. f. mihi ad manum non ſit, *Prooemium*, quod in Edit. *Lugdun.* 1672. f. non reperio, e *Codice* huc transfero:

Hec auguſtini ſacris epygramata dictis
Dulciſono rethor componens carmine proſper

Ver-